

Tenasmus  
poco dyfen-  
teria.

etum, & musculus Sphincterē, in quo est obstru-  
ctio facta: quas cum musculus non obediens ex-  
pellere nequeat, facit tenasum, qui longē peior  
est dysenteria: unde in frequenti infesione in lo-  
cis frigidis, vel vsu astringentium, musculis inobe-  
diens ad expellendum redditus tenasum causat,  
idque (vt testatur Auicenna) ab astringentibus  
plurimum contingit. Cauendum igitur ab astrin-  
gentibus, ne tenasum inducamus: & vtatur ab-  
stergentibus sine erosione quæ parum exiccant,  
quibus & vlcera sæpe curantur. Nec vllus fluxus  
teste Auicenna est astringendus, nisi ægrū ad ma-  
nifestū casum virtutis deduxerit. Dico nō quem  
libet casum virtutis, aut leuem suspicionem: sed  
manifestum, & qui nos cogat astringere. Et Gale-  
nus in Therapeuticis dicit, accidētia non debent  
curari in morbis, nisi habeant rationem causæ. Et  
vbi syncopen in morbo curat, ad curam eius prin-  
cipaliter attendere nos iubet neglecto morbo, est  
que cura illa coacta, nō regularis: sic quādo astrin-  
gimus fluxum. Loquimur autem de fluxu sponta-  
neo, non de violento, vt ex casu, vel incisione ve-  
narum: hic enim statim comprimendus & adstrin-  
gendus est. Hic igitur non astringendum, sed po-  
tius diuertendum est, vt Galenus sputum sangui-  
nis per misionem sanguinis curat, & exiccationem  
capitis, ne detur occasio maioris erosionis.  
Non tamen astringentibus, sed his quæ modera-  
tē refrigerant, vt extingatur caliditas, & exiccet,  
non vt astringatur pars, sed causa fluxus prohi-  
beatur intercipiendo fluxū cum deriuatione. No-  
stri statim currunt ad bolum armenum astringen-  
tem, non respicientes misionē sanguinis. Galen.  
quinto Methodi, docet curare duos, qui patiebantur  
rupturā venarum, curat fœminam & virum,  
vtrunq; synapismis & diaspermaton & theriaca  
noua. A muliere non mittit sanguinem, sed a viro.  
Et addit rationem, quia ieiunauerat. Nos tamen  
hoc tempore importunē omnibus mittimus san-  
guinem, nec curamus inanitionem, aut virtutis  
defectū. Igitur si multitudo sanguinis, aut fla-  
tus affuerit, confert mision sanguinis in sputo. Si  
verò sputum sanguinis a sanguine calido eroden-  
te: vtimur diaspermatō, & relinquimus misionē  
sanguinis. Hæc facienda meo iudicio esse censeo.

### CONSILIVM CCXXVI.

De hemorrhoidibus, pro nobili muliere.

**H**is quæ percipere potui, tum ex illu-  
strissimo Domino recitante, tum ex in-  
structione excellentissimi medici, iudi-  
cauerim illustrissimam Dominam pati  
fluxum hæmorrhoidum simplicem: neque enim  
sufficiens signum est, ex mesar. sanguinem flue-  
re, quoniam circa eas partes dolor sentiat, cum  
idem possint flatus efficere, vel alia materia ibi  
conclusa, vt contingit in obstructionibus, à qui-  
bus non arbitror illustrissimam dominam immu-  
nem esse. Quòd verò feces vel præcedunt, vel se-  
quuntur, vtrunque continuē videmus in hæ-  
morrhoidum defluxu contingere, & ratio ita ma-  
nifesta est, vt explicatione non indigeat. Est au-  
tem perpetuum signum, sanguinem à superiori-

Vicula sup  
Col. 526 E

**A** bus partibus per egestionem emitti, si fecibus  
fuerit valde permixtus: quod non audio hic eue-  
nire: imò quòd vel præcedat, vel subsequatur.  
Omitto accidentia fœuora, quæ contingerent, si  
fluxus à mesaraicis prodiret, præcipuē vbi gum-  
mi retinētur. Nam syncopē, quas audio nonnun-  
quam succedere, ex multa fiunt inanitione, quæ  
maxima syncoparum causa est, vt 12. Therap. testa-  
tur Gale. Ex fluxu autem redundati hæmorrhoi-  
dum, ita solet hepar refrigerari per priuationem  
**B** sanguinis, & spirituum, vt homines frequenter  
inde primò in malum habitum, quem <sup>syncope</sup> frequenter  
vocat, deinde tādē in hydropem, incidere con-  
sueuerint: quod quidē iam euenire in illust. D. ex  
instructione percepi. Habet enim totius corpo-  
ris colorem pallidum & exanguem: quod est ca-  
chexiæ peculiare. Habet tumorem pedis, quod  
etiā initium hydropis. Crediderim igitur hepar  
illius insigniter refrigeratum: non tamen quia ad-  
uenerit illi in substantia aliqua essentialis frigiditas,  
**C** sed quia priuatur sanguine & spiritu, qui ex  
vapore sanguinis generatur. Hic pauci & mali ge-  
neratur: & cum color mediantibus spiritibus im-  
pertiat, totum corpus per actualem calorem, ne-  
cessariū est vt corpus refrigeretur, spiritibus vel  
quantitate, vel qualitate corruptis. Refrigeratio-  
nem intelligo hic priuationē caloris innati, cum  
qua refrigeratione stat sæpe caliditas ignea ex va-  
ria putredine humorum: & contingit in diuersis  
corporis partibus. Et hinc est, quòd quidam hy-  
dropici quandoq; etiam plurima bile redundat,  
**D** quamuis frigidissimi sint hepatis, & perpetuo ci-  
trina repleatur aqua, non ob aliud quàm propter  
obstructiones, unde putredines & calor igneus  
augentur. Ideo & frequentissimè hydropici & ca-  
chectici febricula laborant, quæ tū à medico tum  
ab ægro percipi potest: hoc genus febris à Græ-  
cis Typhodes, ab Arabib. Latica appellatur. Hoc  
dixi, ne mirum sit, cur stante frigiditate hepatis in  
illust. Domina, redundat quandoque humores  
**E** acres & rodentes, qui quidem igneæ caliditatis  
indicia sunt. Ex his patet, quid ego sentiam de di-  
positione illust. Domine. Quas verò causas ha-  
berit huiusmodi fluxus tam copiosus, non satis  
mihi cōstat: fortasse tamē cōtingere potuit, vt stā-  
te hep. naturali caliditate, vt refert medicus excel-  
lētissimus, quòd sanguis paracasticæ ætatis red-  
ditus sit seipso magis adustus & melancholicus,  
vt in talibus temperamentis contingit. Acciden-  
tibus forsitan etiam accidentibus animi & aliis  
**F** molestiis, & mala victus ratione. Multiplicato igitur  
melancholico humore, natura per hæmorrhoi-  
des, vt par erat, excretionem tentauit. Perpetuò  
autem ita in reliquis omnib. euacuationibus con-  
tingit, vt quoties superfluunt, viæ relaxantur, mē-  
bra recipientia fiunt imbecillia, unde postea cō-  
nuatur defluxio, & habitum cōtrahit, qui postea  
nulla arte emendari potest. Hæc de causa & mor-  
bo quātum potui conicere. De prognostico hoc  
vnicum dixerim, valde mihi suspectam esse ægri-  
**G** tudinē. Nunc & morbus cōfirmatus est, & quem  
admodum nuper dixi, fluxio induxit malū habi-  
tum: præterea vbi membra, in quibus naturalis  
caloris sedes est, vel materialiter, vel formaliter si-  
cut

Cur stante frigiditate Hepatis  
redundant quandoq; acres humores